FAVSTI
ROSELLII ARETINI
Epigrammaton libellus

AD CAMILLVM BRONCONVM SENENSEM IVRECONSVLTVM.

FAVSTVS ROSELLIVS ARETINVS AD CAMILLVM BRONCONVM Senensem Iureconsultum.

ENNIVS, qui primus ex helicone coronam detulit, genus poetarum diuinum appellare non dubitauit, quod quasi ipsi poetæ Deorum aliquo dono, atq; munere commendari nobis esse videãtur. Cum sit Ergo apud nos omnes humanissimos homines sanctum hoc poetæ nomen, quod Barbaria nunquam violauit, saxa voce respondent, bestie s-pe immanes cantu flectuntur, atq
pariter rebus optim
ce moueantur
dicu
fi

assurrexit; & postea, in eius memoria, natalem Virgilij ceremonijs venerabantur: hoc pariter procedit quoniam fuit poeta. Quid referam de Ouidio, qui cum septem annos apud getas durasset, tãdem ad finẽ vitæ peruenit & cui mortuo gens illa, quamuis barbara, & inelegans, sepulchrum magnificum fecerũt: & hoc pariter procedit quoniam fuit poeta, & alij innumerabiles fuerunt honorati quoniam fuerunt poetæ, quos breuitatis causa pretermitto. Cum sit Ergo hoc nomen poetæ ab omnibus venerandum Doctissime & Excellentissime, ac patriæ decus ornatissime Camille miraris me velle aliquantulum hoc nomen mihi attribuere. cum pariter adsint in hac præclarissima, ac Florensi Senarũ ciuitate [illegible] celeberrimi poete, miraris forsam [illegible] surrexisse, qui his non sum comparandus: vnde [illegible] dicent me audacissimum. sed an[illegible] demostrarem illos [illegible] taceãt itaq; [illegible] omis[illegible]

fac accipias illũ, & ne longiori, quam deceat oratione vtar. restat solum, vt Deum optimum precer pro tuæ felicissime fortunæ argumento valeas. Ergo decus, & vnicum nobilitatis ornamentum fac sis memor Fausti tui qui te semper conditum seruat in intimo pectore. Tandem deprecor te deprecari Deum maximum (qui linguas infantium facit esse disertas) ut ingressum meũ instruat, progressum dirigat, & egressum compleat. Vale.

IOANNIS RALLII ARETINI

Ad Lectorem.

FAMA feras, quid Cynthi quærit per iuga Phœbus?
Solus & auriferas despicit ipse comas?
Hic molli quærit componere fronde coronam,
Qua Fausti cingat tempora grata Deo.
Ille manu claros homines ad sydera ducit:
Ut vates ornet despecit omne decus.
Respice, nunc arcum, Pharetram, cœlumq. reliquit,
Et quos instaurat, constituitq. choros;
Vestiat vt Faustum, quo splendet semper honore,
In mundo viuat gloria summa virum.
Cur tanto istius Phœbus nunc ardet amore?
Quod Phœbi dulces concinit iste melos,
Atq. magis quoniam iuuenis vix edidit illud,
... veteres non potuere viri.
... tempore lustrum

FAVSTI ROSELLII
Aretini Epigramaton libellus
AD CAMILLVM BRONCONVM
Senensem Iureconsultum.

VT dubius vitæ per multa pericla Camillæ
Nauigo, Neptunum, Tyndaridasq. voco.
Tu Neptunus eris, pariter cum castore pollux,
Te precor, vt venias in mea vota libens:
Insuetum tent animis iter, tu dirige cursum,
Ne graciles nostras obruat vnda rates.
Adfuit Aonidum Mecenas Tuscus alumnis,
Qui cecinit grandi troica bella pede.
Adfuit & pariter flacco fæliciter ille,
Pindarico dulces, qui dedit ore sonos.
Tu quoq. Senarum iuris, legumq. peri-
Da mihi te placidu-
Da dextera-

Nostra simul varijs certant epigrammata nugis,
Fac habeant veteres carmina nostra modos.
Non nos Troianum cupimus describere regem,
Carmine quem docto Virgilius cecinit,
Non nos Persarum naues, neq. facta quirini
Sed faciles lusus nostra camena canit.

AD LECTORES.

LECTORES placidi rogamus omnes,
Vt linguis faueatis, atq. ludis,
Si qui forte meum videre librum:
Dignati fuerint inelegantem.
At vos Fabritio seueriores
Hinc procul, procul hinc abite cuncti.

DE REDITV HIERONIMI
[illegible]rij Aretini in patriam.

[illegible] *bicis hospes.*

Viribus immensis altius egit iter.
Viue precor semper fœlix Aretina propago,
Hic quoniam laudes tollit vbiq. tuas.

EPITAPHIVM AENEE.

HIC iacet AEneas diuum certissima proles
Sed commutauit secula, non obijt.
Troiani certe fœlix o fama triumphi
Cuius facta canit Virgiliana tuba:
Quæ tua laurentes dixit fera bella per hostes,
Et tua bellaci tela cruenta manu.
Viuis adhuc fœlix, resonat tua fama per orbem,
Reddit adhuc nomen grande Maronis opus.

EFFIGIES IANI.

IANVS habet quatuor facies (sic cõuenit illi)
Et prima gaudet delitiosa venus,
Inde secunda placet Cereri, viridoq. Lyæo
Tertia Vulcano duraq. quarta Deo,
Anni principium Ianus, sic ianua prima est,
Et sibi bis sex aræ sacrificantur ei.

AD HIERONIMVM BENE uolentum Senensem Iureconsultum.

SI quis attalicas opes
Magnis conditionibus
Certo condidit horreo:
Sed Proh, non erit ille rex,
Regem non faciunt opes.
Rex est qui posito metu
Committit fera prelia,
Et victor manet hostibus.
Sic non diuitiæ tuæ
Te reddunt Hieronime
Felicem super AEthera,
Sed virtus tua præpotens,
Quæ non ad stygias aquas
Ibit, Panditur AEtheris
Illi ianua lucida,
Salue Thespiadum Decus,
Doctorum pariter iubar,
Te certe docuit Iouis
Alti filia, vertice
Quæ sata est capitis sui:
Sed tu desine voluere
Doctor cesareos libros.
Tu debes habitare rus,

Quod colunt quoq. cælites
Nam sic nunc tibi conuenit.
Inde condere carmina,
Atq. bella cupidinis,
Qui iubet superos Deos
Terras corporibus nouis
Derelicto habitare cælo.
Unde desine voluere
Doctor cesareos libros,
Namq. ortus, simul occidens
Noscit omne tuum iubar.
Non desidere ego tuas
Laudes dicere maximas,
Quæ non conueniunt mihi
Nãq. essem aut Clymene satus
Aut essem Icarus, heu miser
Vix possit mea dicere
Lingua. Vale Hieronime.

AD IVGVRTAM THOMASVM Senensem Philosophum.

COLLIS o Heliconij
Rector cui dedicata sunt
Voce carmina tinnula
Nunc aquas mihi cãdidas

Perge bellorophontis.
O tu qui tenedos claros,
Delphicos Pataros regis
Huc veni niueo pede,
Ut iubar liceat mihi
Dicere inde Iugurtæ.
Nempe qui veluti micat,
Mirtus Asia ramulis,
Quos Hamadriades Dee
Florides sibi roscido
Nutriunt in humore.
Nempe qui veluti micat
Ut soror tua lactea;
Inter aurea sidera;
Semper iste simul micat
Omnium inter honores.
Nempe splendidior vitro,
Vertice iste suo tegit
Cælum, & astriferũ polũ;
Et caput super æthera
Condidit venerandum.
Non tot aurifeus Padus
Ducit aurea flamina;
Non tot aer aues habet;
Nõ tot attica mella sunt;
Quos iubar tenet iste.
Namque quæ patria est Sena
Ridet, & canit illius

Festa facta nitentia,
Gaudeant pariter suæ
Ripe, & arua paterna.
Phebe nunc igitur suis
Deprecor radijs magis
Lucidũ huc facias, vt hic
Regina te valeat duce
Magna scandere cœli.

AD PETRVM CAMAIANVM
Aretinum Pontificem Asculanorum,
Romam tendentem, quem
Papa vocauit.

PETRE Põtificum Decus
Salue, te vocat vrbium
Nunc regina, domus Deũ
Terrarum vocat omnium
Te nunc magnus ocellus.
Si sors (quæ regit antium)
Premia æqua daret bonis.
Esses ante diem magis
Fœlix splendida cõuocat
Sedes Petria Petrum.
Per campos Tibridis tua
Certe fama volat, velut
Aura, vel iaculus, neq;
Sic cito Iouis impetus,
Nec sic tela, nec aura.

Hunc omnes celebrate vos
Musę, linquite Tespie
Rupis Aonios specus.
Lympha quos super irrigat
Myrto & cingite caput.
Salue viue memor tui
Cro tandem Hieronimi,
Qui te seruat in intimo
Semper pectore conditum,
Ne sis immemor. Ergo
Tote viue memor tuę
Prolis inde Rosellię;
Et tu Pontificum Decus
Cunctis temporibus vale
Nunc per secula multa.

AD IOANNEM BAPTISTAM Subianum Aretinum.

DISERTISSIME ciues ô Ioannes
Baptista, o patrię Decus, iubarq.
O lux splendida magna ciuitatis.
Te, qui es Pierij chori sacerdos,
Et cum colloquium tuum reliqui,
Tunc iam dimidio mei carebam.
Nam nil dulcius est, beatiusue,

Consuetudine quam tua fruisci,
Gratias tibi, & omnibus subianis
Ago, pro beneficijs receptis.

DE ANDREA CARDINALE Austriaco discedente de Senis.

Flent Dryades quarũ clangoribus assonat Echo,
Andreas quoniam Tibridis arua petit;
Aruaq. Senarum liquit comitante caterua,
Unde omnis cœtus luget Hamadriadum.
O Nymphe deprecor mestos deponite luctus,
Ut sua nunc virtus ad meliora vehat.

Ad querentem iterum Vxorem.

Attentat denuo si quis vxore relicta,
Naufragus ipse secat bis mare difficile.
Ille quidem fœlix qui cui nil ipse tenetur,
Qui expers vxoris, qui sine prole manet.

DE ACTAEONE.

UT non diceret, aspexi sine veste Dianam,
Dicunt hic, canibus preda fuisse suis.

DE VXORIBVS INDIAE

VXORES certamen habent in morte mariti
Eoe, quae post viua sequatur atrox.
Nam vellent omnes letum (pro laude) pacisci
Coniugis, & turpe est non licuisse mori.

COLLOCVTORES PAVPER ET CHARON.

P. O Charon, o Stygias cui cunctos ferre per undas
Mos est, sum pauper nullus in orbe mihi est
Census, sum pariter pauida de plebe parentum,
Nec possum sedem scandere diuitiae.
Nam nec Aristotelis, nec docti iura Platonis
Audiui, nequeo dicere facta phrigum.
Ianitor Ergo precer liquidas me tolle per undas,
Sed quid erit? spernis cur mea verba Charon.
C. Quid cupis insane, heus defert hec cimba sepultus
Tu magnas pariter iungere quaeris opes?
Pauper semper eris donec morieris in orbe,
Tu pauper, pariter tu morieris eras.
Sis miles cito mors venit aut victoria leta,
Victor eris magnas forsan habebis opes.
P. Quid? reges clamāt heus nostra est troica gaza
Ad bellum merces vos tulit. Ergo Charon.

C. Sis

C. Sis mercator opes manibus cumulabis honestis
Disces ventorum patre fauente tibi,
Pleiadas Hyadosq. oculis, Arctonq. notabis,
Olenieq. capre sidus habentis aquas.
P. Quid? timeo mortē genus heu miserabile mortis,
Nam mare, nam venti, nam fera iactas hiemis:
C. Quid cupis ergo? sis diues doctusq. colonus,
Atq. tibi segretum magnus aceruus erit.
P. Seuua Iouis coiux cerealia dona trucidit
Nimbos inducens, spes quoq. fallit eos
C. Heus discede cupis cumulare, labore relicto,
Diuitias, quos sic nullus habere potest.
Si fortuna volent fies de paupere diues,
Si volet hæc tu de diuite pauper eris.

Responsum Vlysſis ad Penelope.

ME dicis lentum, sed iusta est causa morandi,
Dum venio, quoniam vela tulere noti.
Troia iacet, troie ferus omnia iupiter Argos
Trastulit, & quis quis causa timoris erat
Nunc iaces, & vitam per vulnera mille profudit.
Atq. vbi Troia est nunc collis, & herba fuit
Non me Troia tenet nec ego sum captus amore
Pellicus, amentes Ergo repelle metus.

Solus sum, pariter ventis agitatus, & vndis,
Sed veniam, lectis ſæ lere dulce fruar.

Reſponſum Achillis ad Briſeidem.

IN me ſi fortuna ruit. quid Marte fauente
Bellando prodeſt gloria parta mihi?
Non plus Myrmidones exhortor in arma ruentes
Sed venit inceptis ſeuior aura meis
Non capiam pariter, niſi te Briſeide capta,
Deniq. tela manu martia ſponte mea.

Reſponſum Hyppoliti ad Phædram.

A TE perquiri nunquam ſcelerata putabam
Hoc ſcelus inceſtum me tamen ipſa petis.
Non mouear prȏ dote tua, quȃ gnoſia regna
Promittis nam dos vita pudica mihi eſt.
Ediſcens iaculum, pariter geſtare pharetram
Percupio, & cupiam virginitate frui.
Fontibus a ſacris caliſto Diana repulſit
Qua demiſſus erat virginitatis choros,
Non ego ſic cupio. vale temerata nouerca,
Et nec ego lacrimas fingo videre tuas.

Reſponſum Iaſonis ad Hypſipile.

Viribus humanis geſſi in tractabile pondus,
Ut ſcis Medea ſæpe fauente mihi
Poſtea Theſſalie tetigi cum coiuge portus,
Atq. ibi poſt volui ſoluere vota Ioui.
AEſoni Medea dedit cum robore vires
Dictæ. Deum certe munere & arte ſua.
Viuere me credas Medea dedit mihi vitam,
Et quamquam videas verba carere fide.
Da veniam Medeá nimis eſt contempta marito,
Poſt veniam, cupio viuere virq. tuus.

AEneas deflens mortem Didonis.

O vtinam mihi non licuiſſet ſacra Deorum
Iuſſa ſequi vellem dulce quiete frui.
Nunc mihi per pontum non eſt tractabile cœlum,
Me mare, me venti, me fera iactat hiems.
Cum repeto lucem qua iam te dido reliqui,
Labitur ex oculis tunc quoq. guſta meis.
Cum vidi pariter flammis Carthaginis vrbem
Lucentem, dixi, me quoq. fata trahunt.
Illa mei mortem manibus conſciuit amore,
E heu vix potuit dicere lingua vale.

Visceribus ferrum mersit Lucretia dextra
Puniuit ruptam morte pudicitiam.

De festo Dianæ in Creta.

Templum creta tenet pariode marmore factum,
Quo colitur creßis magna Diana viris,
Sertaq. dependent tectis & tota parescunt
Atria, dat biforem tibi a longa sonum,
Hic Diana sedet media testudine templi,
Pelleq. ceruina condecorata Dea.
Te diuam ducunt ceruus, tibi & aureus arcus.
Est cedis sitiens o pharetrata Dea.
Salue diuapotens Ditis terræq. Iouisq.
Et Proba nobis dicta triformis eras.
Te solam celebrat mincia creta Dianam,
Et tibi pro nulla virgine cerua datur.

In Venerem.

Armatam Venerem vidi de more gradiui,
Mars risit: quoniam vincere nuda potest.

De Icaro.

ICARUS infelix cœpit gaudere volatu,
Deseruitq. patrem, quo duce cœpit iter,
Molliuit ceras Phœbus, quibus ille volabat
Post cecidit miser; & nomina fecit aquis.

Ad Venerem.

SI tu es nata salo, cur nunc accendis, & ardes?
Miror, namq. ignem frigida spingit aqua.

De Atlante.

IN monte fuerat sublimen versus ab ore
Gorgoneo, quoniam spreuit Abantiodem.

De Medusa.

Saxificam pelagi rector vitiasse mineruæ
Dicitur in templo, at filia casta Iouis.
Ipsius flauos crines mutauit in hidros,
Terreat vt cunctos vultibus ipsa suis.

De Niobe.

Nempe gemelliparam Niobe spernebat, & ipsa
Vitabat populo sacrificare Deæ.

Unde suos natos, natasq. peremit Apollo
Unde haec in saxum versa dolore fuit.

De Gigantibus.

Terruit astri luces diuos citania proles
Cum perquirebat carpere regna Iouis.
Sed Pater omnipotens quos iam dedit impia terra
Subiecit, mittens fulmina prima manu.

De Iasone.

Filius AEsonis Martis peruenit in aruum
Cum veneris sidus sidera depulerat.
Ut se taurorum flammis ebetauit, & illis
Supposito manibus misit aratra iugo.
Ut serpentigenis victor fuit hostibus, ille
Verbaq. ter misit ab ore praces.
Custodem vigilem potuit sopire draconem,
Omnibus & linguis qui micat ore tribus.
AEsonides tandem victor Phrixea poposcit
Vellera, Medeae talia gessit ope.

De Puellis.

Nat lupus inter oues, quoniam lux Iulia surgit,
Ah scelus indignum sic ratione decet?

De Phillide.

Templa petit Phillis non sanctum numen adorans,
Sed cupit vt crescant cornua longa viro.
Ipsa suo Phillis dat cornua longa marito,
Ut contra gentes hac ope tutus eat.
Gaude marite precor magnam portare coronam,
Sic quoq. luna sua cornua fronte gerit.

Distichon super Thalamum Iureconsulti.

Caesareum studium (hoc scitis non posse negari)
Exornat Talamum, faemina pulchra magis.

Ad Ferrantem puerum Aretinum.

Alfus erat pulcher, pariter Cephisia proles,
Filius & Cereris, pulcher & Indus Atis,
Cestus erat pulcher, pariter cum castore pollux;
Pulcher stilas forma conspiciendus erat.
Isti sed sine te sunt vt sine gramine campi,
Vel sine luce vitrum, vel sine crine caput:
Te nullum, nec vana fides, discrimen haberem,
Si insererem numero, femineoq. choro,
Sed tu pulchrior Hippolyto, tu castior ipso,
Dianae sequeris dona pudica Deae.

Exemplum interdum Narcisi respice ferrans,
Qui crudelis erat, sic quoq. & eius amans,
Vincere & Amphitriomadem Dea iuno nequiuit
Illum sed potuit flectere solus amor.
Omnia flectit amor, & nos cedamus amori,
Ah miser, ah ferrans in tua fata ruis:
Namq. ignis vincit ferrum, Ergo cede Dearum
Cede Deæ, parent cui tria regna. Puer.

Ad temerariam turbam Poetarum.

Quid ruis in sacros temeraria turba poetas?
Linque precor sacros turba molesta lacus.
Desine sacrilega conuitia dicere lingua,
Namq. ego Phebea numine tutus ero,
Non tibi Calliope, tibi nec dictauit Apollo
Carmina, at Alleuro de Phlegetonte tulit.

Ad Magistrum docentem pueros.

Tum tu declamas magnum Didonis amorem
Carmina Virgilij gymnasiarca doces.
Tuq. doces pariter quid sit nunc vtile, quid non
Dum te doctiloquis moribus esse refers
Tu post extra gymnasium lasciue magister
Pulchris das pueris oscula multa tuis.

Unde

Unde dabas iam sermones a Pallade factos,
Sed tentat curas nunc citherea nouos.

Ad Eundem.

Tempore, tu Bacchi quo sit, commedia multos
Pedicasti sic dicitur a populo.

In Dianam.

Omnes tergeminis tollite laudibus
Dianam teneris virginibus suis.
Tu luci Dea certe,
Tu custos fida montium.
Acteon timidus versus in inscium
Ceruum a te fuit, et post canibus suis
Certe dilaceratus.
Cadmi o progenies mala!
Orion perijt pallidus a tuo
Decepto iaculo; nũc pharetram cape
Saluos redde tenellos
Agnos, cede precor lupos.

Senex ad suam puellam.

Patris humo nauis requiescit fracta labore
Annosiq. negant ducere aratra boues,

Sic ego iampridem diuis, & inutilis annis
Demoror, & dicunt turpe senilis amor.
Iamq. alios iuuenes, aliosq. requiris amores
AEtas Tritoni, Nestoris atq. mihi est
Dulce mori melius miseram quam ducere vitam
Non nobis epulæ, deliciæq. nocent.
Post ego (cospiciens sine corpore, et ossibus vmbras)
Imperium diuum tartareumq. petam,
Pulchra tamen remanes spes nostro sola dolori,
Tu lux Eois lux eris Hesperijs.

Ad Floram.

Hippotades claudit ventos, amnesq. repellit
Tenarias, tandem soluitur acris hiems.
Iam nobis Zephyri mulcent Aquilone remoto
Omnia nunc florent, reddit & annus opes.
Iam Cytherea choros, ericinaq. templa relinquens,
Ducit, & in medio tela ministrat amor.
Ergo Flora mihi vultus, oculosq. nitentes,
Pande puella precor labra tenella mihi
Nunc ego formosus videor, gratusq. puellis,
Nec vocor imbellis decrepitusq. senex.

Ad Cupidinem.

SI pueres, pueri certe mutantur in horas,
Cur non mutaris scilicet instabilis?
Cur non dissoluis, nam me tua vincla ligarunt:
Cura mihi non est laus in amore mori,
Non tot plumbatis armatur creta sagittis,
Spicula quot nostro pectore figis amor,
Dum quaero requiem, requies optata recedit
Annua & est mihi nox tot mala ferre iubes
Unde ego declamo, quas fertis Erinnies atre,
In me ferte faces viuere nempe nego.

Ad Floram.

Nullus amor potuit duram mihi flectere mentem,
Me tu sola potes vincere digna Ioue.
Huic per te nostro cedat iam tempus auorum,
Post Helenam terris palmas secunda tibi est.

Ad Eandem superbientem.

TE laudo pulchram, se cur tibi pulchra videris?
Turpis es, At caeco laudo iubente Deo.

Ad Iugurtam Thomaſum Senenſem Philoſophum.

Candida dum niue ludebat mea bella puella
In me meq. videns eſt iaculata niuem.
Non fuit hac nix ſed potius vt flamma caleſcit,
Dic mihi quo pacto callida facta fuit?

Ad Corinnam deformem.

Cur non baſio te Corinna? luſca es.
Cur non baſio te Corinna? ruffa es,
Cur non baſio te Corinnam, calua es,
Nullum cor retines amantium, vnde
Hoc nomen tibi non licet, ſed abſit.

Ad Floram.

Corpus amare meum dicis ſed amare latenter:
Inq. tuo ſpeciem corde tenere meam,
AEnea dido prebens exempla, relicta
Se gladio fodit, quàm coluere patres
Quid dicam pariter Phillis furiata dolore
Arſit, & in laqueo fortiter vlta nefas.
Biblida quid referam moritur quæ fratris amorem
Pendebatq. ſuum corpus inane trabe.

Unde hæ non coluere suos ab amore latenter
Secreta flamma quis quis amare nequit.

Ad Eandem iratam.

Flectitur irati Iouis ira, furorq.
Nec feritas animo quæ fuit ante manet
Tempore magnorum compescitur ira leonum
Tempore nunc taurus, tempore paret equus.
Omnia maturat, tempus maturat & iram
Iram tu pariter pone puella tuam.
Flecte feros animos, mentemq. ferinam
Contra me pariter pax tua corda regat.

Ad Musas.

Vos omnes nunc nunc valete Heliconis alumnæ
Dicite quid prosunt carmina vestra mihi?
Summe pater vale custos sorabtis Apollo
Nam quod ego vellem nostra puella negat.
Cui cedit Nero quo iam non crudelior alter,
Cedunt harpiæ, cedit & hidra fera,
Quam lapis, & montes, innataq. rupibus altis
Robora, & immanes progenuere feræ.
Ite Ergo Musæ, verbum non amplius addam,
Atq. cito pede tu surripe Phebe viam.

Ad Floram.

UT nunc agna lupis, & catulis lepus,
Cur sic terga mihi perfida porrigis?
Non sum tigris ego, nec ue ferus leo
Ergo cur fugis inuida?
Tu tu Flora animæ dimidium meæ,
His vitam mihi tu tollis ocellulis
Sed tu de scithicis montibus edita es
Heu non sic tibi conuenit.
Heu non impietas conuenit inclitæ
Formæ sed pietas regnat inclita
Forma, sed tibi nec clamor ad æthera
Nec prosunt quærimoniæ.
Cum ferrum superes duritia tua
Dum plus conquerimur tu magis, heu magis
Fis dura. Ergo necem flora lubens petam
Per te fœmina perfida.

Ad Seipsum.

Tantas desine Fauste nunc quærelas,
Nam quid? sic veneri placet quid Ergo
Fles? aure tua verba derelinquunt.

Collocutores Siluius & Flamminia.

Ennemus Arcadiæ populo venerabile ab illo,
In quo currentes silua coronat aquas.
Est pariter pratum letum, quo Flora solebat
Ludendo capiti iungere serta suo.
Siluius hic quando vidit sub tegmine fagi
Flamminiam sic tunc dicere cepit ei.
S. Flamminia. o quoties non est numerare beatus
Cui licet indigno te Dea dulce frui
Si te nullus habet siluam hunc ineamus eandem
Herba torum, nobis hospitiumq. dabit.
F. Me nunc nullus habet siluã Ergo ineamus eãdẽ
Crede mihi, coiux nam sua semper ero.
Cum sic audiuit vix vix sua gaudia differt
Siluius, & subito prendere cepit eam.
Implicat vt serpens illam, simul oscula carpit,
Nullus in illorum corpore neus erat.
Siluius inquit Dy facite vt moriamur in vno,
Vota exaudiuit iupiter ipse sua.
Vnde duos tegit vrna, velut mors vna duorum
Corpora, sic ista viuite pace precor.

Ad Camillum Bronconum Senensem.

Prælia dum mea musa parat cantare Camille
Nudus amor ridens accipe dixit opus.
Quis lasciue puer dedit hoc in carmine iuris?
Non tua sed Phebi signa pudica turba sumus.
Dum sic dicebam miserum me ceperat ille
Unde illi tandem tum noua preda Deo.
Nunc ego nunc caperem crepitantia dicere bella
Sed sua castra mihi scribere iußit amor.
Mœnia si miles, & amans sic limen amicæ
Obsidet, hic portas frangit, & ille fores.
Bella valete precor, sunt hæc mihi bella sequenda
Eheu vix Phebo iam lyra tua sua est.
Hæc mihi iußit amor, heroum clara valete
Nomina, non apta est gratia vestra mihi.
Ad mea formosos vultus adhibete puellæ
Carmina, purpureus quæ mihi dictus amor
Nunc ego deberem per laudes ire tuorum
Parce Camille precor sic mihi iußit amor.

Ad Lectorem.

Lector si quid erit parum pudicum
Parce parce precor mihi, Cupido
Namq. hic carmina fecit, Ergo si quid,
Parce, lector erit parum pudicum.

Ad Floram.

Ad Floram.

Iam Phebus Daphen & gnorida Bacchus amauit
Pyramus & Thysbe, Callimachus Lydam
Cynthia gaudebas recitando Propertius ignes,
Cum sic clamabat.tu mihi sola places
Omnibus hæc nota est & erit dum robora tellus
Dum cælum stellas dum vehet annis aquas.
Sic tu Flora puella meo cantaberis ore.
Dum tepidus Ganges donec & Arnus erit
Te ante alias amo Flora, mihi tu sola placebis,
Tu sola es oculis apta puella meis
De tenebris lucem mihi das de luce tenebras
Dulcior es certe nectere, & ambrosia.

Ad annulum quem dono ad Floram mittit.

Munus eas gratum digito iunctura puellæ
Annule fac digitis conuenias'q suis
O vtinam subito fieri mea munera possem
Aut docte Circe, aut artibus AEtias
Felix a Flora tractaberis annule nostra
Sed tu post pro me talia verba feres.
Dic. cur non lacrimæ Fausti te vincere possunt
Flectitur iratus voce rogante deus

Nil magis est durum sano nil mollius vnda
Sed tamen, hoc certe, saxa Peredit aqua
Facsis mota sua prece sic prece motus Achilles
Annule nec paruas adde preces deprecor.

Ad Floram.

Laudo tuam faciam dentes, niueosq. capillos,
Et nigros oculos, nigra supercilia
Labra, genas, angues, rubros laudoq. frequent
Et te retres digitos, Exiguosq. pedes
Omnia nunc laudo tua flora, latent ia vellem
Sed laudare magis, nam meliora latent.

Ad Lectorem.

Miraris cur nuda venus me sauciat, vnde
Perquiris cur non vincere percupiam
Nudus amor est, non æquum est concurrere nu..
Non sum cæcus ego, cæcus at ille tamen.

De Natali Principis AEtruriæ.

ALMA dies fulget nobis signanda lapillo
In qua terribilis concidit aura noti

Gentibus armipotens princeps est natus Etruscis
Reddita sunt patriæ lumina magna meæ.
Arne retro propera versèq. recurrite lymphæ
Hunc vos hunc tantum namq. videre decet
Arne per immensum nomen memorabile mundum
Dic cum præclaras in mare voluis aquas,
Et tibi nate puer diuident Nestoris annos
Ut patrum poßis facta beata sequi
Quæ possunt Fabios pariter superare Camillos,
Et Capitolinam, Cesareamq. domum.

De Flora.

Flumen erat vitreum placidis labentibus vndis
Gramen erat circum quod tener humor alit
In cuius ripa frondosa Flora sub vmbra
Endymioneo capta sopore iacet
Hanc cum respexit mars credidit esse dearum
Diuam vide hanc tacito tentat adire pede
Hunc timuit Flora armatum, cum talia dixit
O mars non ego tum delitiosa Venus.
Cum Mars cognouit Venerem non esse benignam
Deceptas petijt magna trophea Iouis.

De Iunone, & Ioue Ganimedem rapiente.

CUM Saturnia Iuno ab arce cœli
Troianum puerum rapi cinædum
Vidit a Ioue sic suo marito
Illi dicere cepit ipsa Iuno.
Europam modo postulas modoq.
Inachi genitam modoq. ledam.
Non coiux tua sum magis, relictum
Est solum mihi nomen vnde magnum
Cœlum pellicibus dedi Probrosis,
Et mortalia sunt mihi colenda.
Sed non sufficit. At tuis cinedis
Cœlum vis etiam dare. heu misselle
Non sunt omnia quæ licent honesta.

De Ferrante puero Aretino.

Ferrante appellat vulgus non rectè basilli
Iudice me potius nomine dignus erat.

Ad Floram.

Dicta es Flora, es flos, matris tibi nomen ab aluo est
Flos es crede (alias vincis honore) mihi.

Ad Petrum Caponsacchum Aretinum.

Tempore in hoc clario Diuo parere necesse est
Desine tu Petre Socraticos euoluere libros:
Omnibus est quoniam requies optata laborum.
Me mea musa vocat me Phebus cepit amare
Versibus vnde ego quero cupidinis arma referre;
Crede mihi, posito omni iure, & codice clauso
Flora est apta mihi nam sic mea dicta puella est
Conuenit hæc mihi materia, hæc sunt gaudia nostra
Non ego nunc canerem Fabios, Deciosq. Catones
Non Marios, & non Syllam, nec facta Camilli
Non Catulos, & non Curios, nec Cæsaris arma.
Sed Flora cano dum magno iacto dolores
Dicere nil aliud certe possum nisi Floram
Semper alo uenis hoc immedicabile vulnus
Omnes humanos sanat medicina dolores
Non amor artificem, medicaq. nec diligit artes
Ergo desine Socraticus euoluere chartas
Et tu respice versiculos quos Flora puella
Composuit, nec eos musa, & nec fecit Apollo
Ingenium dedit illa mihi, & sic carmina feci.
Tandem ad te veniam diui post festa Ioannis
Baptistæ, & cupiam tecum sic pace fruisci.

Ad Ioseph Rosellium Aretinum.

Forsan perquires frontem iactare Catonis
Dum tu clare Ioseph carmina nostra legis
Me dices forsan castum non esse poetam
Quod tantum flore concremar igne meae.
Parce Ioseph precor insatiabilis ille Cupido est
Plus habet ille magis diligit atq; cupit
Illi sunt tria regna & cui nunc omnia parent
Atq. nouum cupit hic ambitiosus opus
Crede mihi insanos vitaui semper amores
Et spreui pariter tela cupidinea.
Testis Latona genitus, Phebiq. sorores
Testes tuq. Ioseph testis inesse potes.
Sed cupit alma venus castos agitare poetas
Vt vates illam semper in urbe canant.

Ad Phebum pro Camillo Senensi Iureconsulto Egroto: Carmen Saphici sic.

Qui dies menses retines & annos
Phebe cui tellus patarea seruit
Qui claros, delon, tenedos regisq.
Delphicaq. atra
Porrigas nostro deprecor Camillo

Brachium magnum, medicas & artes
Ut meos versus legere ipse possit
Febre repulsa.

Andreas contucius Sauinatus ad Flamminiam Senensem.

Tot mala sum passus quot in æthere sidera lucent
Nunc petijt requies irrequietus amor.
Flamminiæ o magici mentem conuertite vobis,
Fas est quod vultis ducere carminibus.

Hieronimus Rosellius Aretinus Ad Beatricem Aretinam suam amantem.

Mitto tibi flores, sed quid mihi mittere quæris,
Mitte mihi æqua meis præmia muneribus
Conueniunt tibi flores; sed mihi premia diue
Cypri conueniunt, iustaq. dona dabis.

Ad Cupidinem.

Si tua tela sequor mihi dic formose Cupido
Cur patior telis vulnera facta tuis?

De Flora ruri commorante.

Rura puella colit nunc vos gaudete coloni,
Rustica verba cupit discere noster amor.
Ipsa venus latuit, latuit spes nostra puellæ,
Ferreus est heu quis quis in vrbe manet.
Hanc seruate precer Fauni, satiriq. laresq.
Fluminaq. & nymphæ, semideumq. genus,
Hanc Diana precor serua tu candida custos,
Tuq. puellorum virginitatis honos,
Ara diua tibi ponam, ceruamq. dicabo
Taleq. sub nostro nomine carmen erit:
Seruauit castam Fausti Diana puellam:
Ceruam, & pro cepta virginitate dedit.

Ad Eandem ruri commorantem.

Rura colunt illi, qui sunt de plebe Deorum
Sed magnos diuos regia celsa tenet.
O quater o quoties non est numerare beatus,
Non interdicta cui licet vrbe frui
Nunc ego iactandas optarem sumere pennas.
Siue tuas Perseu Dedale siue tuas.
Sed tu Flora veni spes nostro sola dolori
Tigri non homines impia rura colunt.

Ad Lectorem.

Ad Lectorem.

Natarum climene lacrimas superare deceret
Versibus o lector sed dolor ipse vetat
Plectra iacens & muta lyra est, sciditq. capillos
Nunc mea musa, simul sauciat vngue genas,
Et musa in gemitus soluit mea carmina lector
Musa tacet quia rus nostra puella colit.
Non plus musa canit ridens, nec pollice chordas
Pretentat, nec eos dictat, vt ante iocos
O Lector versus abiere, venusq. iociq.
Unde datur digitis vltima charta meis.

Ad Librum suum.

Vade liber, sed sis cautus loca grata saluta
Ne te bubo notet damna futura canens.

Ad Inuidum.

Dic mihi cur clarum laceras hunc inuide librum?
Dum tu dicis me verba aliena sequi.
Nil dictum quod non dictum, mihi crede, prius sit
Ne laceres quia tu dilaceratus eris.
Dum laceras hunc librum, tu lacereris vt ille
Qui vidit Scythicam quum sine veste deam,

Ut pariter Pentheus, qui ridet sacra Lyei
Nec tibi succurrent numina sancta Dei.

In Noſtri SALVATORIS paſsionem carmen Elegiacum.

Tempore quo CHRISTUS lethū crudele paciſci
Debebat certe conſcius ille crucis
Legit biſſenos ſocios, & teſtibus illis
Prædixit mortem ſuppliciumq. ſuum
Summa dies venit, & pariter nox illa propinquat
Quæ noſtro Chriſto vulnera tanta dabit
Ille tamen morti ſemet ſupponit atroci
Ad muros vrbis funera acerba petit.
Ut genus humanum dannatum ducat Olympo
Quid petis infelix quidue requiris homo
Hic vult morte tuum ſcelus exitiale piare
Te peccattorem ducere ad aſtra cupit.
Tādē eſt captus et hic pariter deductus ad Annā
Inde ad Caiphe ducitur ille domum
Seua trahunt illum latronum turba per vmbras
Atq. lupis illis dilaniandus erat,
Et Pilati eſt miſſus in alta palatia, mittit
Hinc Herodi rex ipſe Pilatus eum
Purpurea Herodes Pilato veſte remittit
Et dicit, dignum quem crucis eſſe, manus

Clamabant crucifige aduersum Cesaris hostem
Illis rex illum præbuit vnde foras.
Hic periturus abit per montem nudus & inde
In cruce funera dilaceratus erat.
Tunc sitiens petijt supremi dona Lyei
Hunc Dominum cæli fel satiauit atrum
Corporibus gelidis, Mater sua nempe iacebat
Ante suum natum & stat pia fusa comis
Sol radios latuit claros (trepidabile visu)
Et tenebris mundum terruit atq; polos.
Corpora viua timent & mortua feda resurgunt
Tecta labant, cæli regiaq; nigra tonant.
Unde suum quis quis scelus exitiale videbat
Attonitus magnus clangor vbiq. manet
Sacra canunt omnes pueri innuptæq; puellæ
Omnis homo pacem quærit habere Deo.
Thuraq; dant castis aris quas igne vapor ans
Thuraq. dant vt sit mitior ira Dei
Sed Pater alti sonans templorum seuit in atria
Omne Dei templum fulminis igne iacet.
Et nigrescentis dixit iam rector Olympi
O Pater hanc animam suscipe summe meam.
Restitit inde suum magnum sine numine corpus
In cruce, quæ cælum tangere sola potest
Post tumulum condunt illic sua membra quiescunt
Atq; super bustum spargitur indus odor

Spiritus ad manes illius constitit iter
Per cæcos aditus, sole carente via
Sponte sua se conuellunt a cardine postes
Diffugiunt tenebræ sol quia vincit eas
Hic manes diuinas ducit ad atria cæli,
Iam quos astra vocant lucida templa Dei
Nunc Rex tartareus fert Euersamq; pharetram,
Et fractas arcus & sine luce faces.
Postquam ter Phebus totum lustrauerit orbem
Hic surget victor, culmina summa petet.

De Pilato.

Postquam Pilatus nouit se iudice Christum.
Iam periysse, sibi præbuit ille necem.

In Saluatoris nostri Crucem.

O fortunata arbos & venerabile lignum
Tu quod eras summo nobilis ara Deo.
O fortunata arbos & venerabile lignum
In quo deposuit filius ossa Dei,
O fortunata arbos & uenerabile lignum
Cui dulcis Christi credita cura fuit,
O fortunata arbos & uenerabile lignum
In quo iam ueniam præbuit ille deus,

O fortunata arbos & venerabile lignum
Quod sanas homines indubitata salus,
O fortunata arbos & venerabile lignum
Tu nostrum augurium, tu quietatis iter.
Ad te confugio, vt te mitescant secula pace
Ergo redde precor tu quietatis iter.

De Resurrectionis dominicæ Die.

Expulit oscuras tenebras lux tertia rebus
Spiritus angelici semper osanna vocant.
Ecce deus cæde ablutâ reuocatus in auras
Qui vitam nobis sic moriendo dedit
Tollitur a terra mortalia cuncta perosus
Et fortis victor clara trophea petit
Omnia lætantur nunc est noua temporis ætas
Omnia nunc florem reddit & annus opes
Atria tota patent templorum fronde per vrbem
Quisq. suas pariter concusit ore preces
Quem laudant cœli dicentes voce beati
Salue progenies ex deitate patris
Hic nunc mortales moriens a morte reduxit
Peccati surgens hostia clausit atra
Hic per nos sitio clamauit in æthere Christus
Et fuit allatus tantus amarus humor

Clamauit dicens homines contendite læti
Nempe sitim donat nunc mihi vestra salus.
Hic diras potuit Plutonis frangere leges.
Ut sanctas manes ducere ad superos.
Ergo Pij date Thura volet vaporatet ad auras
Suppliciter genibus nunc pia Thura date.
Sed manibus castis castas accedite mensas
Intus Christus adest sub specie Cereris

Ad Camillum Bronconum Senensem Iurisconsultum.

Si fortasse meum quicquid rude carmen habebis
Parce mihi; aut annis parce Camille meis.
Tempore in hoc mihi erant anni bis octo peracti
Quis ferè, verâ fides, additus annus erat.

FINIS.

ERRORVM CORRECTIO.

Comendari uerſ.3. num.6. commendati. conſiſtunt 3. 10. conſiſtunt. moueantur 3. 12. moueamur. florenſi 4. 14. florenti. forſam 4. 15. forſan. Alunno 7. 7. Alumno. Dexteram 7 13 Dextram fac habeant ueteres. 8. 2. fac ueteres habeant. quos iubar tenet iſte 12. 26. hic tenet quot honores. Aretinum pontificem. 13. 10. Aretinum Epiſcopum. Cro 14. 7. Oro. Dicunt 15 15. dicitur. Pleiadas Hyadoſq. 17 3 Pleiadas Hyadaſq. iactas hiems 17. 6. iactat hiems. tibi ſegretum 17. 8. tibi ſegetum. Diuitias quos 17. 12. diuitias quas. ſi fortuna uolent 17 13. ſi fortuna uolet. nunc iaces 17. 20. nunc iacet. Spingit aqua 21. 6. uincit aqua. In monte 21. 7 in montem. citania proles 22. 3. Tirania proles. u rbaq. termiſit 22. 12. uerbaq. ter pariter miſit. lux iulia 22. 17. lex iulia. Pulcher ſtilas 23. 12. Pulcher Hylas. Diſcrimen haberem 23. 15. diſcrimen haberes. At Alleuro 24. 14. At Allectro. Tenarias tandem 26. 12. tenarius tandem. Corinnam 28. 7. Corinna. & in laqueo 28. 15. & eſt laqueo. amorem 28. 16. amore. irati Iouis 29. 3. irati precibus Iouis. feros animos mentemq. 29. 9. feros animos Ergo mentemq. En nemus 31. 1. eſt nemus. nam ſua. 31. 12. nam tua. cum ſic audiuis 31. 13. cum ſic audiuit. Pudica turba ſumus 32 4. Pudica ſumus. Tum noua 32. 6. ſum noua. nunc caperem 32. 7. nunc cuperem. gnorida 33. 1. gnoſida. callimachus lidam 33. 2. callimachuſq. lydam. gaudebas 33. 3. gaudebat. Annis aquas 33. 6. amnis aquas durum ſano 34. 1. durum ſaxo. ricurrite 35. 3. recurrite. Er tibi 35. 7. Et tibi. diuident 35. 7. diui dent. uide hanc 35. 16. unde hanc. Ego tum 35. 18. ego ſum. deceptas 35. 10. deceptus. ferrante 36. 14. ferrantem. Baſilli 36. 14. Bathilli. ſed Flora cano 37. 12. ſed Floram cano. magno iacto 37. 12. magnos iacto. carmen ſaphici 38. 17. carmen ſapphicum. retinet & annos 38. 18. retines & annos. o magici 39. 6. Ergo magi. ſeruate precer 40. 5. ſeruate precor. tuq. puellorum 40. 8. tuq. puellarum. ara diua 40. 9. aram diua. carmen eris 40. 10. carmen erit. Hic manes diuinas 44. 5. hic manes diuinos. Et fractas arcus 44. 8. & fractos arcus. ſanctas manes 46. 4. ſanctos manes. ducere ad ſuperos 46. 4. duceret ad ſuperos. habebis 46. 9. habebit. eras 46. 12. erat.

LECTORI.

Alios errores fortaſſe lector inuenies, qui in prima edictione caueri nō poſſunt : hos uero uolui in pagine ſignare, ne tuas aures offendāt.

Ego frater Iulius Prumianius Ferrarienſis Senarum Inquiſitor concedo licentiam imprimendi.